

Abruzzo & Terra di Lavoro.

534

Regio, & unde
dicta.

Soli fertilitas.

Flumina.

Montes.

HAC Tabula duæ regiones in Regno Neapolitano peragrandæ succedunt. *Aprutium* & *Terra Laboratoris*. Priorem *Aprutium*, *Abruzzo* vernacule hodie vocant Itali. Fines ejus constitui solent ab Ortu Apuli Dauni cum amne Phiterno: ab Occasu Sabini & Picentes cum Truento fl. qua Septentrio est, Mare Hadriaticum: qua Meridies Picentini, Campani, Marfi, *Æquicoli*, secundum Apenninum Montem ultra citraque ex parte habitantes. Regio summa gaudet Cœli salubritate & incredibili Incolarum frequentia: amœna est & commoda versus Mare, sed montibus aspera in Mediterraneis. Præter alia Crocum abunde mittit, nutritq; Animalia innumera. Hodie huius tractus Caput *Aquila*. Condidisse eam perhibent Langbardos: Carolum inde Martellum vel ut alijs placet, Fridericum 11 Imp. mœnibus cinxisse, munisseque: Colonis Civium jure, & civitati *Aquila* nomine adsignato ab signo Cæsareo, vel potius ab fausto *Aquila* nomine. Ea autem brevi maximis incrementis ita auxit, ut civitatum reliquarum principatum in hac regione facile nunc obtineat. Sunt præterea *Guastrû*, *Amontum* vernacule *Guastrô di Amone*: Plinio Melæq; *Histonium*: *Histonium* Pt. sine aspiratione. *Lancianum* celebre Emporium: quo quotannis mensibus Majo & Augusto Italiæ, Inlurici, Siciliae, Græciæ, Asiæ & reliquarum mundi partium Negotiatores ad frequentissimum conveniunt Mercatû. *Σελμῶν Sulmo* Pt. & *Σελμῶν Str.* Hodie *Sulmona* est teste Leandro: aliquibus male *Sermona* dicitur. Vrbs est pulchritudine loci, frequentia populi, aquarum abundantia, inprimis nobilis. Ovidij Patria. *Chieti*, vel *Civita Cheto* vulgo, Vrbs Archiepiscopalis. *Asculum* antiquissima Civitas, *Asclum* Antonino, Plin. nobilissimam *Piceni Coloniam* appellat. Iacet plano patuloq; campo, munitissimo in loco, mœnibus firmis. Ab una parte Mons sublimis in quo sita est Arx: ab altera Truentus ripis præaltis munit. *Beneventum* auspiciatius mutato nomine, quum initio appellaretur *Maleventum*, ab *Malo Vento*, quem injuriosum & horribilem sepe patitur. *Beneventi* vulgo. Situ urbs est admodum opportuno, & amœno, summa agrorum bonitate præstans. *Sora* vicina est Liri Amni: populo haud infrequens, tituloq; Ducatus ornata. *Aquinum* Pt. nobilitavit hanc patriam suam *Thomas* magnus Philolophus *Aquinas* hinc cognominatus. Nomen retinens collapsa pene jacet, vestigia præferens pristinae amplitudinis: Comitatus habens titulum. Reliqua describere Opida chartæ angustia prohibeor. Flumina hic *Phinternus*, quo Samnium ab Apulia dividitur: *Fortore* vulgo. Eius in Tiferno monte fons est, haud procul a Boviano. Exonerat se in Mare Hadriaticum juxta Lefinensem Lacum. *Trintus* quod *Portuosum* notat Plin. *Asinella*, *Sentus*, *Sangrus*. Sunt item *Morus*, *Feltrinus*, *Pescara*, *Aternus*, *Rafentus*, *Orta*, *Liberrata*, *Salinus*, *Plumba*, *Vomanus*, *Turdinus* & alia. Montes porro in Samnitibus adeo sunt excelsi, ut etiam ipsos Apenninos superent. Inter eos *Mons Virginis*, ob D. Mariæ Templum nominatissimus. *Mafella* amplitudinis vastissimæ ad censu difficillimus, rupibus asperimus, Cacumen perpetua nive tegitur: multa herbida habet prata: plurimos effundit Fluvios: Silvis superbit immensis, Ferarum copia scatentibus: præcipue Vrsorum: Rupibus etiam abruptis horret plurimis. Sunt & Iuga Apennini: quæ *Montes Tremuli* vocantur.

Terra